XXI.

Städtisches Evangelisches Gymnasium

zu

Jauer.

Ostern 1886.

Inhalt: 1. De coniuratione Catilinaria quaestio chronologica. Vom Oberlehrer Dr. W. Lilie.
2. Schulnachrichten. Vom Director Dr. R. Volkmann.

1886. Prog. No. 174.

Jauer, 1886.
Druck der Opitz'schen Buchdruckerei (H. Vaillant).

De conjuratione Catilinaria quaestio chronologica.

De chronologia rerum ad conjurationem Catilinae pertinentium cum multorum extent diversissimae sententiae, dubium videri potest, an sit perdita opera ejus, qui post toties repetita aliorum tentamina hanc quaestionem retractare conetur. Ac tamen mihi etiam Sallustii causa argumenta, quae adhuc allata sunt, consideranti et alia indicia colligenti non tanquam desperatus abjiciendus videbatur conatus si non plus, at certe rectius videndi, quam a recentissimis interpretibus adhuc visum est.

Notum est Sallustium chronologicae diligentiae non admodum deditum fuisse. Neque id mirum. Is enim inter rerum Romanarum scriptores primus abjecta rudi illa annalium scriptorum ratione unam aliquam materiam dignam, quae traderetur, sejungere et separatim describere instituit et ita hac in re versatus est, ut omissis multis rebus, quae quidem ab iis, qui in suum quamque rem annum referebant, tacitae praeteriri non poterant, eas res potissimum eligeret, quae aptae essent ad materiae unum quoddam corpus efficiendum. Res autem ita semper disponere studuit, ut narrationi tragicam quandam dignitatem conciliaret.[1])

Dum igitur ad disponendam artificiose materiam omne studium convertit, parum diligens est in temporibus accurate describendis. Quod cum in alios cadit locos tum in eum, qui legitur in conjuratione Catilinae inde a capite 26 usque ad caput 32. His autem capitibus Sallustins adeo non curavisse videtur temporum ordinem, ut ne ipsarum quidem rerum naturam atque perpetuitatem sequeretur, id quod historico vix potest condonari. Sunt, qui Linkerum[2]) secuti statuant librariorum incuriae hos chronologicos errores deberi iisque ita mederi conentur, ut ordine rerum, qui est in libris, mutato res ad ordinem revocent sibi probatum. Sed hic conatus praeproperus videri debet.[3]) Nam in libris quidquam esse turbatum ne tenuissimo quidem indicio adducimur. Grammaticae leges non suadent, ut mutemus quidquam. Ac ne tollunt quidem ordine, quem statuunt, illi interpretes omnes difficultates: incurrunt in alias, quas nisi violentissimis conjecturis removere non possunt.

Jam vero in re, de qua agitur, praecipua et prima auctoritas Ciceroni tribuenda est. Cicero enim, qua erat inanitate et admiratione sui, cum, quotiescunque occasio ferebat, suam laudem ornaret eamque etiam atque etiam praedicaret, res in consulatu suo gestas penitus

---

[1]) Novissime de Sallustii arte egit Rambeau: Charakteristik der historischen Darstellung des Sallust. I. Th. Progr. des Gymn. zu Burg 1879.

[2]) Emendationen zu Sallust auf Grund seiner Quellen und Nachahmer. Sitzungsberichte der Wiener Akademie hist.-philol. Classe 1854, Band XIII.

[3]) vide Wiedemann, über Sallust's Catilina c. 27, 3 — c. 28, 3. Philol. XXII. p. 495 sq.

memoriae mandavisse putandus est. Itaque vel longissimo temporis spatio post exactum consulatum intermisso fieri non potuisse videtur, ut unquam in animo ejus innasceretur earum rerum oblivio. Accedit, quod Cicero harum rerum memoriam redintegrare et instaurare semper poterat ex tabulis illis, quas iis ipsis diebus, quibus conjuratio patefacta est, perscribendas curaverat.[1]) Verum tamen quae modo disputavi, non ita dicta existimari volo, quasi ex orationibus Ciceronis veram rerum notitiam percipi posse putem. Nam profecto, cum ne tabulae quidem illae, quas modo memoravi, ipsa Ciceronis aetate publicarum tabularum auctoritatem obtinuerint, quippe quas corrupisse Cicero ipse argueretur[2]), dubitari non potest, quin in ejus orationibus vel privatae invidiae levandae vel crudelitatis odii depellendi causa multae res aut silentio sint transitae aut aliter atque evenerunt narratae. Ob eamque causam qui nudam veritatem factorum quaerunt, hi Ciceronis orationibus non sine cautione quadam uti possunt. At illa suspicio rerum consulto immutatarum vel obscuratarum cadere non potest in eos locos, ubi mera temporum indicia inveniuntur. Tantisper certe ejusmodi indicia in dubium vocari non poterunt, donec satis magnis argumentis erit comprobatum Ciceronem certo aliquo consilio turbasse temporum ordinem. Plutarcho[3]) porro et Dioni Cassio[4]) tanta fides tribuenda est, ut eos nonnunquam in subsidium advocare liceat.[5]) Nam quamvis dubium non sit, quin Plutarchus et Ciceronis orationes et Sallustii librum inspexerit, tamen in gravissimis rebus tantam discrepantiam prodit, ut ea non ex errore vel neglegentia orta esse possit. Unde cum appareat ex alio quoque eum fonte hausisse, eorum equidem sententiam probaverim, qui Livii potissimum vestigia eum pressisse conjiciunt. Quae conjectura haud improbabilis videtur ideo, quod Plutarchus habet certa indicia, quibus sentiamus Caesarem non abhorruisse a societate conjurationis.[6]) Dioni Cassio, qui et ipse nonnulla habet, quae ipsius sunt propria, videtur tota monumentorum copia in manibus fuisse, ex qua fluctuante judicio suam historiam conscriberet.

Jam locos Ciceronis, unde ordo rerum constitui posse videtur, adscribam ac primum quidem eos, quibus certa temporum indicia continentur.

In Cat. I. 7: Meministine me ante diem XII. Kalendas Novembres dicere in senatu fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI. Kalendas Novembres C. Manlium audaciae satellitem atque administrum tuae?

Ibidem: Dixi ego idem in senatu caedem te optimatium contulisse in ante diem V. Kalendas Novembres, tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non potu-

---

[1]) Cicero pro Sulla § 41.

[2]) Cicero pro Sulla § 40 crimen corruptarum tabularum ita refellit, ut tamen concedat fieri potuisse, ut eae corrumperentur.

[3]) Cicero, 14—16.

[4]) XXXVII. 29—33.

[5]) vide, quae de auctoritate horum scriptorum protulit Dübi: Die jüngeren Quellen der Catilinarischen Verschwörung. N. Jahrbb. f. Phil. u. Pädag. 1876 p. 852.

[6]) Ut cognoscamus, quemadmodum Livius conjurationem explanaverit, paucissima extant indicia; quod autem Tacitus annal. IV. 34 narrat tantis Pompejum laudibus a Livio esse elatum, ut Pompejanum eum Augustus appellaret, inde colligi potest Livium omnia Pompeji facta in meliorem partem accepisse, Caesaris contra in deterius interpretatum esse.

isse, cum tu discessu ceterorum nostra tamen, qui remansissemus, caede te contentum esse dicebas?

in Cat. I. 8: Quid? cum tu te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo jussu meis praesidiis, custodiis vigiliisque esse munitam?

pro Sulla 52: quid tandem de illa nocte dicit, cum inter falcarios ad M. Laecam nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium me consule Catilinae denuntiatione convenit?

Accedunt ii loci, quibus tempus vel summatim significatur vel per aliam rem definitur.

in Cat. I. 1: Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

in Cat. I. 4: At vero nos vicesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatus consultum, verum inclusum in tabulis tanquam in vagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit.

in Cat. I. 8: Recognosce mecum tandem noctem illam superiorem: jam intelleges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios — non agam obscure — in M. Laecae domum, convenisse eodem complures ejusdem amentiae scelerisque socios.

in Cat. I. 9 et 10: Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina, distribuisti partes Italiae, statuisti, quo quemque proficisci placeret, delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres, descripsisti urbis partes ad incendia, confirmasti te ipsum jam esse exiturum, dixisti paululum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos esse pollicerentur. Haec ego omnia vixdum etiam coetu vestro dimisso comperi, domum meam majoribus praesidiis munivi atque firmavi, exclusi eos, quos tu ad me salutatum mane miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego jam multis ac summis viris ad me id temporis venturos praedixeram.

in Cat. II. 6: omnia superioris noctis consilia ad me delata esse sentiunt; patefeci in senatu hesterno die; Catilina ipse pertimuit, profugit.

in Cat. II. 12: Hesterno die, cum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Jovis Statoris vocavi, rem omnem ad patres conscriptos detuli.

ibidem: Hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exsilium ejicio, quaesivi a Catilina, in nocturno conventu apud M. Laecam fuisset necne. Cum ille homo audacissimus conscientia convictus primo reticuisset, patefeci cetera; quid ea nocte egisset, quid in proximam constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta edocui.

Denique addendus est locus Asconii Pediani, qui in Pisonianam § 4, ubi Ciceronem arguit in chronologia errasse, annotat haec:

Sed hic non subtilis computatio annorum facta est, verum summatim tempus comprehensum est, ut proinde debeamus accipere acsi dixerit: prope XXXX annis. Haec consuetudo in ipsis orationibus est: itaque idem Cicero in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, cum octavus decimus dies esset post factum senatus consultum, ut viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet, dixit vigesimum diem habere etc.

Res igitur, quarum tempora tam accurate definiuntur, ut nulla dubitatio relinquatur, sunt hae:

1. a. d. XII. Kal. Nov. senatus habitus est, in quo Cicero retulit de iis rebus, quae ad se allatae essent.
2. a. d. VI. Kal. Nov. Manlius arma cepit.
3. in a. d. V. Kal. Nov. Catilina caedem optimatium contulit.
4. Kalendis Novembribus Catilinae conatus Praeneste nocturno impetu occupandi ad irritum redactus est.
5. nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium conjurati convenerunt ad M. Laecam.

Jam vero viri docti consentientes colligunt a. d. XII. Kal. Nov., quo die Cicero de Catilinae clandestinis consiliis retulerit, senatum decrevisse, ut Ciceroni domi militiaeque imperium atque judicium summum permitteretur. De die, quo comitia habita sint, interpretes in diversas discedunt partes, nisi quod inter omnes fere constat ea post senatus illud decretum habita esse.

Sallustius res hoc ordine narrat. Primo loco commemorat comitia consularia et insidias consuli a Catilina in campo paratas, deinde narrat Manlium in Etruriam missum esse, tum refert conjuratos ad M. Porcium Laecam convenisse eosque dejectos esse spe Ciceronis interficiendi, deinde transit ad Manlianos conatus et ad senatus decretum, quo Ciceroni dictatoria potestas tradita est. Denique narrat Romae omnia provisa esse, quae opus esse viderentur ad civium salutem tuendam et effingit atque exprimit imaginem terroris, quem hi apparatus omnibus civibus incusserint. Postremo transit ad senatum, in quo Cicero primam orationem habuit.

Itaque duos inprimis errores interpretes suo sibi jure Sallustio objicere videntur, unum, quod comitia consularia primo loco memoret, cum re vera habita sint post senatus illud decretum, alterum, quod conventum conjuratorum domi M. Porcii Laecae et senatum, in quo Cicero primam orationem in Catilinam habuit, aliarum rerum mentione interposita late disjunxerit; nam has res ita inter se cohaerere et alteram ex altera necti, ut etiam narrando conjungendae fuisse videantur.

Sciendum est, ut hoc primum moneam, et Plutarchum et Dionem Cassium in universum uti eodem atque Sallustium narrationis ordine. Tamen horum scriptorum consensus viri docti ita nullam habent rationem, ut judicium suum sibi conforment ex unius Ciceronis scriptis idque adhibeant ad illorum fidem aestimandam. Quod quam non sit utile, facile est intellectu. Quamquam tenendum est, id quod supra monui, neque Plutarcho neque Dioni ullam fidem adversus Ciceronem esse vindicandam. Sed si quis praejudicatis opinionibus non erit occupatus, quid trium scriptorum communi testimonio monitus faciet? Nonne conabitur discrepantiam tollere, quae intercedere videtur inter hoc testimonium et aliud quoddam ab alio scriptore prolatum? Quodsi accidat, ut virorum doctorum sententia, quam a Ciceronis verbis recte petere sibi videntur, falsa arguatur, de ceterorum scriptorum auctoritate suspicionem habere non jam licebit. Nam ubi contra non dicitur nisi falsis argumentis, probare argumentis nihil opus est.

Jam in quaestione de qua agitur solvenda omnes interpretes uno vitio premi videntur, quod tanquam certum aliquid sumunt, quod est omnium incertissimum. Ad unum enim omnes

contendunt a. d. XII. Kal. Nov. senatus consultum factum esse, darent operam consules, ne quid detrimenti caperet res publica;[1]) quam conjecturam cum pro firmissimo fundamento ducant totius argumentationis, fieri non potest, quin etiam in reliqua conjurationis chronologia errent. Itaque ante omnia huic rei studendum videtur, ut hic de illius senatus consulti tempore error funditus tollatur. Nititur virorum doctorum sententia eo Ciceronis loco, qui supra a nobis allatus est in Cat. I. 7. Sed Cicero hoc loco nihil nisi a. d. XII. Kal. Nov. senatum habitum atque in eo Catilinae nefarias voluntates a se patefactas esse refert: se dictatorem dictum esse nullo verbo significat. Illa igitur sententia a conjectura nata est. Quae conjectura, licet sit dubia, tamen speciem quandam prae se fert veritatis. Sed repugnat alius Ciceronis locus, quem, quo melius de pondere ejus statui possit, paulo integriorem adscribam. Dicit Cicero pro Murena § 51 et 52:

Tum igitur (scilicet cum Catilinae voces percrebuissent, quas habuisse in contione domestica dicebatur) his rebus auditis meministis fieri senatus consultum referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus. Itaque postridie frequenti senatu Catilinam excitavi atque eum de his rebus jussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit. Tum enim dixit duo corpora esse rei publicae, unum debile, infirmo capite: alterum firmum sine capite: huic cum ita de se meritum esset, caput se vivo non defuturum. Congemuit senatus frequens neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit: nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant, partim quia timebant: cum erupit e senatu triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat: praesertim cum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante Catoni fortissimo viro judicium minitanti ac denuntianti respondisset, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua sed ruina restincturum. His tum rebus commotus et quod homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret — etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere — verum ut omnes boni animadverterent, et cum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque concurrerent.

Haud dubie Cicero verbis: „itaque postridie frequenti senatu Catilinam excitavi etc.“ denotat eum senatum, quem a. d. XII. Kal. Nov. habitum esse refert in Cat. I. 7. Diffitetur hoc Baur[2]), cum sibi persuadeat comitia in Quinctilem referenda esse, qui fuerit legitimus comitiis habendis mensis. Sed ponamus habita esse comitia mense Quinctili. Quid quaeso causae excogitari potest, cur omnibus ad opprimendam rem publicam comparatis Catilina amplius tres menses quiescendum sibi esse arbitratus sit? Num fieri potuisse videtur, ut Manlius exercitum spe praedae et rapinarum conflatum per tam longum temporis spatium ab injuria et maleficio prohiberet? At enim Baur contendit consilium conjurationis faciendae a Catilina demum post comitia habita initum esse. Haec vero

[1]) cf. Hachtmann, die chronologische Bestimmung der beiden ersten Catilinarischen Reden Cicero's. Programm von Seehausen 1877 p. 4: Für die Beurtheilung der vorliegenden Frage ist aus den angeführten bestimmten Daten das von Wichtigkeit, durch welches uns bezeugt wird, dass die oben erwähnte Senatssitzung (intellegit illum senatum, in quo Cicero dictator factus est) am 21. October stattgefunden habe; von diesem müssen wir ausgehen, um für die anderen Zeitbestimmungen die richtige Deutung zu finden.

[2]) Die zeitliche Stellung der Consularcomitien für 691. Programm von Buchsweiler 1875. Strassburg.

sententia prorsus falsa existimari debet; nam quin revera jam ante comitia conjurationis initium factum sit, non dubitabit, qui consideraverit hunc Ciceronis locum et ea, quae Sallustius, Plutarchus, Dio Cassius de comitiis referunt. Itaque acquiescendum est in sententia eorum, qui statuunt illis Ciceronis verbis denotari senatum, qui a. d. XII. Kal. Nov. habitus est.

Refert igitur Cicero in a. d. XII. Kal. Nov. primo edicta fuisse comitia consularia; ipso autem referente pridie ejus diei senatus consultum factum esse, ne postero die comitia haberentur, ut eo die de consiliis Catilinae in senatu agi posset; in hunc senatum etiam Catilinam venisse et jussum se purgare tantum ab ea re abfuisse, ut in senatum contumeliosis inveheretur verbis. Jam pergit Cicero congemuisse senatum frequentem neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevisse. Profecto si illud decretum, quod Cicero alio loco vehemens et grave dicit, in eo senatu factum esset, Cicero senatum tunc non satis severe decrevisse non dixisset; nam eo die, quo factum est illud decretum, satis erat in eo ordine et animi et auctoritatis. Quid tandem gravius et vehementius decerneret? Quam ob rem tuto judicare licet a. d. XII. Kal. Nov. Ciceronem dictatorem non dictum esse.[1]) Sed clarior etiam lux redundat ex loco illo Ciceronis ad ordinem rerum definiendum. Nam postquam Cicero commemoravit, quas minas Catilina in senatu jactasset, et quam molles senatores in decernendo fuissent, statim transit ad comitia ita pergens: „his tum rebus commotus et quod homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci sciebam, descendi in campum etc.“ Unde fidenter conjecturam facere possumus nullam rem majoris momenti intercessisse inter senatum a. d. XII. Kal. Nov. a Cicerone convocatum et comitia. Nam Cicero, si ante comitia dictator factus esset, profecto ejus rei mentionem illo die fecisset atque omnino dicere non potuisset se his rebus, scilicet potissimum mollitia et ignavia senatus, commotum in campum descendisse cum firmissimo praesidio. Quare Ciceronis ipsius verbis eo deducimur, ut comitia ante illud senatus decretum habita esse putemus.

Quae Plutarchus et Dio Cassius de eadem re retulerunt, prorsus consentiunt cum Ciceronis loco. Continua oratione connectit uterque illum senatum, in quo Cicero de Catilinae consiliis retulit, et comitia consularia nulla alius rei commemoratione inserta. Dioni illud quoque cum Cicerone commune est, quod narrat senatores in decernendo Ciceronis exspectationi non satisfecisse ideoque eum cum firmissimo amicorum praesidio thorace indutum in campum descendisse.

Quae adhuc attuli argumenta, jam satis magna praesidia esse puto opinionis meae: comitia non esse habita post senatus illud decretum. Ceterum quoniam de comitiis dicere coepimus, removebimus hoc loco etiam alium errorem. Sunt enim, qui putent a. d. V. Kal. Nov. comitia habita esse, quia Cicero in Cat. I. 7 dixerit caedem optimatium Catilinam contulisse in a. d. V. Kal. Nov., tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam illius consiliorum reprimendorum causa profugissent.[2]) Profecto hunc Ciceronis locum si recte consideravissent et cum altero loco, quem supra adscripsi e Mureniana § 51, comparavissent,

---

[1]) Non omittendum est A. W. Zumptium in eadem sententia fuisse. Is enim pro Murena Berol. 1859 p. 93 ad vocem „decrevit“ annotat: „Quid decreverit nescitur; sed voluerat, opinor, Cicero jam tunc plane decerni, quod post comitia demum, ubi vis Catilinae patebat, decretum esse Sall. Cat. 29, Plut. Cic. 15, Dio Cass. XXXVII. 31 narrant, ut consules operam darent, ne quid res publica detrimenti caperet, etc.“

[2]) Hachtmann p. 8: Mit Recht sind die Worte: „dixi ego idem in senatu caedem te optimatium contulisse in a. d. V. Kal. Nov.“ auf die Consularcomitien bezogen worden.

ipsi haud dubie suae opinioni adversari intellexissent; nunc autem nescio, quomodo fieri potuerit, ut a nullo error animadverteretur. Nam hanc opinionem falsam esse illud ipsum liquido demonstrat, quod consilium optimatium a. d. V. Kal. Nov. interficiendorum necesse est Catilina jam inierit eo tempore, quo comitia, quibus in a. d. XII. Kal. Nov. dictus dies erat, nondum in aliud tempus dilata erant. Scilicet Cicero pro Murena dicit se referente a. d. XIII. Kal. Nov. demum senatus consultum factum esse, ne postero die comitia haberentur, et postridie i. e. a. d. XII. Kal. Nov. in senatu Catilinam a se jussum esse si quid vellet de his rebus, quae ad ipsum allatae essent, dicere. Quaenam autem res ad Ciceronem allatae fuerint, docemur ex altero loco; patefecit enim Cicero in senatu a. d. XII. Kal. Nov. habito consilia inita et de optimatibus in urbe a. d. V. Kal. Nov. interficiendis et de armis in Etruria a. d. VI. Kal. Nov. capiendis. Nimirum Catilina voluit et in urbe et extra urbem eodem tempore initium rei gerendae fieri. Itaque Cicero ipse planissime testatur consilium optimatium a. d. V. Kal. Nov. interficiendorum non modo a Catilina initum sed etiam ad se delatum fuisse. priusquam alius dies comitiis habendis diceretur. Comitia autem, quae die dicta habita non erant propterea, ut de Catilinae nefario consilio consultari posset, postea in diem eum dilata esse, quo hoc consilium patratum iri notum esset, parum credibile est. Denique loco illo Ciceronis pro Murena § 52: „His tum rebus commotus et quod homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum etc.“ particulae: „jam tum“ indicant Ciceronem periculum ipsi die comitiorum imminens commemorare ita, ut aliud facinus respiciat, quod postero tempore erat suscipiendum. Aliter enim hae particulae sensum praeberent nullum. Neque tempero mihi, quin Ciceronem illam caedem optimatium intellegere conjiciam in a. d. V. Kal. Nov. a Catilina collatam.[1])

Atque ut haec conjectura interpretum per se prorsus falsa redargui potest, ita contrarium demonstrant ii loci, quibus Cicero de insidiis die comitiorum sibi paratis loquitur. Is enim dicit in Cat. I. 11: „Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis nullo tumultu publice concitato.“ Pro Murena 52; „ut omnes boni animadverterent et cum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque concurrerent.“ Pro Sulla 51: „vos tum judices nihil laborabatis neque suspicabamini. Ego tectus amicorum praesidio firmo Catilinae tum et Autronii copias et conatus repressi.“

E quibus locis cum pateat die comitiali Catilinae caedem tantum Ciceronis et competitorum consulatus propositam fuisse, cum item pateat optimates tunc non praemonitos fuisse — nam intererant comitiis et ita quidem intererant, ut ipsi nihil laborarent neque quidquam suspicarentur; at contra eo die, in quem caedem optimatium a Catilina collatam fuisse Cicero dicit, adeo timore perculsi erant, ut ne Romae quidem manere auderent — cum denique pateat Ciceronem eo die Catilinae conatum amicorum tantum praesidio repressisse, id quod profecto fieri non potuit, si Catilinae caedes multorum civium proposita fuisset, satis magna haec testimonia sunt, e quibus eluceat comitia et caedem optimatium loco illo a Cicerone praedictam in

[1]) mea explicatione accepta spero fore, ut omni suspicione liberatus videatur ille Ciceronis locus, quem Halmius ex glossemate natum esse censet.

diversos dies incidisse. Linkerus ipse confitetur[1]) non necessario sequi, ut utraque res in eundem diem inciderit; immo vero necessario sequitur, ut consilium Ciceronis die comitiorum interficiendi et caedes optimatium in a. d. V. Kal. Nov. collata prorsus diversae fuerint res in diversos constitutae dies.

Sed ut omnia, quae adhuc de Ciceronis locis disputata sunt, breviter complectamur: vidimus non a. d. XII. Kal. Nov. Ciceronem dictatorem dictum esse; item vidimus falsam esse virorum doctorum sententiam statuentium comitia consularia demum habita esse post senatus illud decretum. Intra hos fines haec commentationis pars subsistere potest. Nam cum apud Ciceronem nihil reperiatur, quod ordini narrationis, quem sequuntur Sallustius, Plutarchus, Dio, repugnet, nihil prorsus est, quod ab horum scriptorum auctoritate non recedendum esse demonstremus. Itaque ego non dubito, quin Plutarcho, quocum Dio in universum consentit, etiam in enarrandis iis rebus, quae proxime post comitia consularia gestae sunt, fides tribuenda sit. Plutarchus postquam de comitiis et de Catilinae irritis consiliis dixit, ita fere rem persequitur: „Brevi postquam comitia habita sunt satis magnis conjuratorum copiis in Etruria comparatis et in ordines distributis nocte ad Ciceronem complures nobiles viri cum epistolis venerunt, quas sibi multisque aliis senatoribus dixerunt eadem nocte missas esse. Quarum una cognita cum inventum esset magnam caedem brevi factum iri, propter quam rem optimum factu esset quam primum ex urbe egredi, senatus postridie a Cicerone convocatus est. Quo in senatu ceteris epistolis, in quibus plane eadem erant scripta, recitatis, nuntiis praeterea de Manliana seditione auditis Cicero dictator factus est.“ Quod epistolarum argumentum, quoniam cum iis, quae Cicero de caede optimatium in a. d. V. Kal. Nov. collata narrat, prorsus convenit, nihil est verisimilius quam his epistolis et Ciceronis verbis eandem rem eundemque diem intellegenda esse. Sed a. d. XII. Kal. Nov., quo die Cicero de hac re primum in senatu retulit, senatores indicio non magnam fidem habuerunt; cujus rei causam Cicero ipse pro Murena § 51 indicat. Cum autem indicium illis epistolis confirmatum esset et praeterea certi nuntii de Manlianis actionibus essent allati, senatores adeo territi sunt, ut decernerent committendam esse rem publicam consulibus.

Restat, ut quaeratur, cur Cicero in Cat. I. 7, 8, 9, ubi recognoscit consilia Catilinae et ea, quae ipse fecerit ad reprimenda haec consilia, senatus consulti hujus mentionem non injecerit. Ac primum quidem nihil opus erat ipsum consultum commemorare; rem enim, qua potissimum effectum est consultum, scilicet caedem optimatium a Catilina in a. d. V. Kal. Nov. collatam, Cicero jam commemoraverat, quamquam senatores non affirmatione ipsius sed paulo post epistolis, quas memoravi, adducti erant, ut dictatorem dicendum esse putarent. Deinde prorsus Ciceronis erat suum ipsius indicium proferre, tacere de aliorum indicio; sic enim ipse plus animo providere et praesentire videbatur, cum ceteris ad id tempus nihil suspicantibus totam rem jam perspexisset. Accedit, quod memoriam sui indicii illo loco Cicero repetit non sine aliqua tacita vituperatione senatorum, qui ipso rem tantam tamque atrocem referente tam molles in decernendo fuerint. Restat alia causa. Ut multis nominibus Cicero de conjuratione cum detegenda tum exstinguenda optime meritus est, ita strenuum tamen dictatorem se non praestitit. Licuit ei interficere Catilinam. Quo enim die primam in Catilinam orationem habuit, jam dudum tenebat summum imperium. At caedes impune parabat atque incendia

[1]) Emendationen zu Sallust S. 5. A. 1.

Catilina, quin etiam in senatum veniebat. Dictator satis habebat conjuratorum nefarios conatus suis praesidiis et sua diligentia oppressisse. Quare Cicero ne inertiae vel ignaviae accusetur, omnes excusationis causas colligit, nonnullis locis aperte prodit timorem suum.[1]) Certe prorsus nihil erat, quod Cicero illo loco, quo laudem suam non sine ostentatione praedicat, dictatura sua gloriaretur.

Deinceps videndum est, quo die Cicero primam orationem in Catilinam habuerit. Optime vero accidit, quod ipse Cicero nobis idoneam satis dedit ansam ad hunc diem recte definiendum, ita ut vix opus sit ad aliorum scriptorum testimonia recurrere. Indicia vero, quae in orationibus Ciceronis extant, licet sint luce clariora, tamen sunt, qui obscura putent et in diversissimas partes versent non aliam ob causam, quam ne repugnent falsae illi opinioni, quam habent de die, quo Cicero dictator dictus sit. Ac primum Ciceronis locos examinemus. Cicero eam noctem, qua conjurati convenerunt in M. Laecae domum pro Sulla § 52 his verbis denotat: „quid tandem de illa nocte dicit, cum inter falcarios ad M. Laecam nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium me consule, Catilinae denuntiatione convenit?"

Hunc locum Halmius quique eum secuti sunt Drumannus, Richterus, Madvigius, Langius recte interpretantur. Patet enim „posterum diem Nonarum Novembrium" idem esse atque „postridie Nonas Novembres" vel ut est vulgaris loquendi usus „a. d. VIII. Id. Nov." Haec structura multis exemplis comprobari potest. Usitatissimum illud: „postridie ejus diei" est Caesari[2]); ne Cicero[3]) quidem abhorret ab hoc genitivi usu. Quod autem vulgaris structura in definiendo tempore adhibita non est, ejus rei causam Hachtmannus attulit in eo tamen ille quidem errans, quod non idoneis argumentis usus locum interpolatione corruptum putat. Neque enim id agitur, ut dies aliquis definiatur, sed ut nox certa denotetur, quae vix potuit fieri ut vulgari ratione significaretur.

Jam vero praeter illam noctem Cicero in orationibus Catilinariis alteram commemorat, quae interfuerit inter illum conjuratorum coetum et diem, quo prima oratio habita est. Nam si Cicero dicit in Cat. I. 1: „quid proxima, quid superiore nocte egeris" et in Cat. II. 13: „patefeci (scilicet hesterno die in senatu) cetera, quid ea nocte egisset, quid in proximam constituisset" diserte duas noctes distinguit. Item si dicit in Cat. I. 8: „recognosce mecum tandem noctem illam superiorem", ibid. 9: „dico te priore nocte venisse inter falcarios . . . . in M. Laecae domum", ibid.: „reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lecto interfecturos esse pollicerentur" apparet diem, quo prima in Catilinam oratio habita est, non primum post eam, qua convenerunt conjurati ad Laecam, noctem fuisse sed alterum. Nam si quis prioris vel illius noctis mentionem facit, is respiciat necesse est alteram noctem, quam prior vel illa quae dicitur tempore praecesserit. Aliud indicium protulit Kühn[4]), qui recte monet verbis Ciceronis dicentis in Cat. I. 1: „Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae . . . moverunt?"

[1]) in Cat. I: 3, 4, 12, 30. II. 3.

[2]) b. G. I. 23, 48. II. 12. IV. 13.

[3]) ad Att. III. 7. I: Brundisium veni a. d. XIV. Kal. Maj. Eo die pueri tui mihi a te litteras reddiderunt, et alii pueri post diem tertium ejus diei alias litteras attulerunt. Coel. in Cicer. ad famil. VIII. 2. 1: Accessit huc, quod postridie ejus absolutionis (alii: absolutionem) in theatrum Curionis Hortensius introiit.

[4]) Quo die Cicero primam in Catilinam orationem habuerit. St. Matthias-Gymnasium. Breslau 1885. p. 11.

non eandem noctem denotari, qua consilia domi Laecae inita sint, sed sequentem, qua conjurati consilia sua exsequi i. e. urbem incendere, incolas interficere voluerint. Quare apparet primam orationem in Catilinam habitam esse a. d. VI. Id. Nov.

Nihilo minus huic sententiae duo videntur loci Ciceronis opponi posse, qui leguntur in oratione secunda

§ 6: omnia superioris noctis consilia ad me delata esse sentiunt: patefeci in senatu hesterno die.

§ 12: hesterno die, cum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Jovis Statoris vocavi.

Sunt enim, qui censeant: cum Cicero dicat „omnia superioris noctis consilia“ statuendum esse eum denotare noctem, quae proximam praecesserit; at vero si constet illud „omnia superioris noctis consilia“ referendum esse ad nocturnum illum conventum, si item constet eodem die Ciceronem primam orationem habuisse, quo paulo ante lucem duo illi equites Romani interficere eum frustra conati sint — altero enim loco temporis notationem „hesterno die“ pertinere etiam ad sententiam secundariam: „cum domi meae paene interfectus essem“ — denique si Cicerone ipso auctore constet equites illos ad facinus perpetrandum vixdum nocturno conventu dimisso aggressos esse, dubitari amplius non posse, quin prima oratio sit habita a. d. VII. Id. Nov. Atqui infirma admodum est haec argumentatio. Scilicet superior nox in universum dicitur ea, quae alteram aliquam praecessit tempore; non opus est de duabus continuis noctibus cogitare.[1]) Quare nihil prorsus obstat, quominus hoc de quo agitur loco superiorem noctem eam intellegamus, quae est tertia a die, quo oratio secunda habita est.

Nullius porro momenti sunt, quae de altero loco Madvigius disputat. Is enim dicit[2]): „neque enim ulla interpunctionis vi, quo interpretes confugiunt, effici potest, ut non illa temporis notatio „hesterno die“ pertineat etiam ad interpositam sententiam „cum domi meae etc.“ Sunt sane exempla, quae contrarium demonstrent.[3]) Sed concedo illam temporis designationem, quamvis primariam relationem habeat ad verbum finitum — id quod inde intellegitur, quod in fronte totius enuntiati est posita — tamen simul pertinere ad sententiam interpositam. At hoc etiam concesso Madvigius non juvatur. Nihil sane est, quod obstet, quominus in sententia: „cum domi meae paene interfectus essem“, plusquamperfectum propria ipsius significatione positum esse statuamus. Haec enim est propria vis plusquamperfecti, ut statum aliquem indicet perpetuum ac durantem, qui praeterito tempore simul cum altera re praesens erat, etsi actio ipsa, qua effectus est ille status, praecesserat illam alteram rem. Igitur „hesterno die cum paene interfectus essem“ de se recte is pronuntiare potest, in quem conatus interficiendi jam nudius tertius susceptus erat. Atque eo minus de hac interpretatione dubitari potest, quod apparet Ciceronem mentionem caedis paene perpetratae interponere non ideo, quod rem ipsam velit per se spectari, sed ut doceat, quo in statu ipse fuerit, id est: quo modo animus

---

[1]) Sufficit legere apud Ciceronem ad fam. I. 9, 57: „ego . . . repentinam ejus defensionem Gabinii, quem proximis superioribus diebus acerrime oppugnassem, tamen etc.“ ubi addito superlativo cavetur, ne de talibus superioribus diebus cogitetur, qui non sint proximi; apud Vopiscum Prob. cap. 11: „recte atque ordine, patres conscripti, proximo superiore anno factum est, ut vestra clementia orbi terrarum principem daret.“

[2]) Opuscula academica. Hauniae 1834. partic. I. p. 195.

[3]) Ejus generis exempla collegit Ogórek. Programm von Rudolfswert. 1879. Wann hat Cicero die beiden ersten Catilinarischen Reden gehalten? Schluss. p. 9.

suus affectus fuerit hoc facinore. Nam accuratior loci illius contemplatio nos facile docebit illa temporis notatione addita Ciceronem non id agere, ut in quem diem inciderint vel senatus vel conatus ipsius interficiendi cognoscatur; utriusque enim rei tempus denotare nihil opus erat, cum et omnibus notum esset et in eadem oratione paulo supra jam indicatum. Sed Cicero, sicut paulo supra nimiae clementiae opprobrium refellere studuerat, sic hoc loco odium crudelitatis depellere studet. Jam vero quanta fuerit sua indulgentia, Cicero sic optime se demonstrare posse confidit, ut doceat, quomodo se hesterno die in senatu gesserit. Hoc in senatu nihil aliud nisi Catilinam jussit, si quid vellet, de his rebus, quas molitus esset, dicere, atque tantam moderationem exhibuit eo die, quo, cum paene interfectus esset, consentaneum est ipsum vehementissima animi concitatione abreptum fuisse. Neque vero sine quodam consilio pro effectu ea res, quae est ejus causa, ponitur. Permultum enim facit ad orationis vim proferendam et augendam, si Cicero rem ipsam, qua excitatus erat, simpliciter commemorat nulla mentione injecta animi sui affectionis, cum sic jubeantur ii, qui audiunt, quid ipsi animi fuerit, ad se ipsos referre. Animi autem hic motus idem esse poterat, sive eo ipso die, quo orationem in senatu habuit, sive pridie mortem vix effugerat.

Quibus disputatis elucet utrumque locum non aptum videri posse ad refellendam rem eam, quae gravissimis testimoniis comprobata est. Eo igitur res redit primam orationem habitam esse a. d. VI. Id. Nov.

Jam inquirendum est in virorum doctorum sententias, quae omnes natae sunt ex falsa illa opinione: Ciceronem dictatorem dictum esse a. d. XII. Kal. Nov. Etenim quod Asconius in Pis. § 4 contendit eum, quo Cicero primam in Catilinam orationem habuerit, diem octavum decimum fuisse post factum illud senatus consultum, inde interpretes concludunt primam orationem habitam esse a. d. VII. Id. Nov.; nam inde ab a. d. XII. Kal. Nov. usque ad hunc diem intermissos esse duodeviginti dies. De hoc Asconii loco infra disputabitur. Sed viri docti in magnam incidunt difficultatem, quod certis testimoniis videtur comprobatum diem, quo Cicero primam orationem habuit, non primum post nocturnum conjuratorum conventum fuisse sed alterum. Itaque varia finxerunt, ne sua opinio adversari videretur indiciis aliunde petitis. Inter quae mirabile est quod Mommsenius protulit, qui dicit [1]) diem, quo Cicero primam habuerit in Catilinam orationem, nondum pro eo ac debeat definitum esse; unum locum, qui conjectandi copiam praebeat, legi in oratione pro Sulla 52: „nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium"; at vero hoc loco adjectivum „posterum" non pertinere ad genitivum „Nonarum Novembrium", sed se applicare ad comitia, de quibus Cicero modo dixerit; quam ob rem „posterum diem" non eum intellegendum esse, qui Nonas Novembres secutus sit, sed genitivum „Nonarum Novembrium" habere vim epexegeticam, ita ut tota structura perinde intellegenda sit, acsi Cicero scripserit: „posterum diem, qui dies fuit Nonarum Novembrium" vel „Nonas Novembres, quae secutae sunt comitia modo commemorata".[2])

[1]) in Hermae vol. I., p. 430 seq. Mommsenius cum ipse suae sententiae non tantum tribuerit, ut eam in novissimam historiae Romanae editionem admitteret, ea accuratius examinanda tempus perdere nollem, nisi eam alios amplexos esse viderem.

[2]) l. l. p. 433 dicit vir doctissimus: Dagegen lassen Cicero's Worte sich ungezwungen dahin verstehen, dass posterus gar zur Datirung nicht gehört, sondern den Tag als den auf die eben vorher erzählten Consularcomitien folgenden bezeichnet, gleich als wenn Cicero geschrieben hätte: posterum diem, qui dies fuit Nonarum Novembrium.

Ut sententiam suam probet, addit vir illustrissimus consentaneum esse Ciceronem temporum et rerum rationem ita significasse, ut noctem illam, qua coetus conjuratorum factus esset, alteram fuisse post comitiorum diem diserte diceret. Praeterea putat Mommsenius duos illos equites non eadem nocte, qua consilium caedis initium sit, sed proxima demum nocte ad caedem perficiendam aggressos esse; scilicet propter temporis angustias fieri vix potuisse, ut Cicero consilium multa nocte a conjuratis captum multis ac summis viris praediceret, si revera prima luce vixdum coetu conjuratorum dimisso sicarii caedem perficere conati essent. Ciceronis autem ipsius testimonium in Cat. I. 9 et 10 disertis verbis dicentis equites illos eadem nocte ad se salutatum venisse, non ita magni momenti esse; prorsus enim Ciceronis esse temporis illud spatium, quod intercesserit inter consilium caedis ejusque perpetrandae conatum, quam maxime possit obscurare; Ciceronem enim, qua fuerit vanitate, prae se tulisse divinam quandam animi vim atque provisionem, quam nihil posset fugere.[1])

Quare ex Mommsenii sententia ita res sese exceperunt: pridie Nonas Novembres comitia habita sunt; nocte ea, quae consecuta est Nonas Novembres, conjurati convenerunt ad M. Laecam; postera nocte Cicero consilium ipsius interficiendi impedivit exclusis iis, quos Catilina salutatum miserat; a. d. VII. Id. Nov. is primam in Catilinam orationem habuit.

Hanc opinionem falsam esse apparet, si quidem de die comitiorum recte a nobis supra disputatum est. Sed quo minus de Mommsenii errore dubitari possit, accedunt alia argumenta ex ipso Ciceroniani loci contextu ducta. Sed fingamus adjectivum „posterum“ referri ad comitia modo memorata; oportet ex addito genitivo „Nonarum Novembrium“ conjiciamus Ciceronem non modo temporis nexum, qui intercederet inter comitia consularia et conventum nocturnum, denotare voluisse, sed etiam tempus ipsum utriusque rei definire. Quid igitur? qui duas res, quae in dies sese excipientes inciderunt, narrare earumque tempus definire volet scriptor, alterumne diem definiet? Absurdum id quidem, cum nihil facilius sit quam definire priorem diem et simpliciter pergere: postridie. At contra Cicero ex Mommsenii sententia primum commemorat comitia in medio relinquens, in quem diem inciderint; nimirum diem definire non opus est, quippe qui cognosci possit ex accurata definitione posteri diei vel potius noctis, quae posterum diem consecuta est. Quid adeo repugnat consuetudini et sensui communi? Ac ne denotat quidem Cicero, id quod jam Richterus monuit, ullum nexum rerum, sed ex toto rerum ad conjurationem pertinentium numero nonnullas tantum decerpit, et eas quidem, quae aptae sint et ad reum a suspicione liberandum et ad accusatorem redarguendum. Ideoque illa nox tam accurate notatur non sine acerbissima vituperatione ejus, qui Sullam accusaverat, quod socius fuisset in conjuratione Catilinaria; quam ad criminationem se subornari passus erat a patre, qui hac nocte, cum illam sibi officiosam provinciam deposceret, ut consulem trucidaret, inter conjuratos primas partes egerat.[2])

---

[1]) Operae pretium est ipsum Mommsenium audire. Dass Cicero, inquit, diese Zwischenzeit nach Möglichkeit in den Schatten stellt und für die Zuhörer verschwinden lässt, ist ganz in seiner Weise. In stiller Allmacht und Allwissenheit gleich der waltenden Vorsehung machte der grosse Consul die Pläne der Verschworenen augenblicklich zu Schanden; es schadete dem drastischen Effect, sowohl wenn man die Quelle erfuhr, aus welcher diese Vorsehung sich informirte, als wenn die Zeitfrist bekannt war, die derselben zur Abwehr des Schlages verstattet war.

[2]) Quibus expositis non opus est dicere, quam frustra sit Hachtmannus, qui verba: „nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium“ spuria esse contendit hac potissimum causa ductus, quod in

Quae cum ita sint, missa Mommsenii sententia acquiescendum est in altera: illo Ciceronis loco adjectivum „posterum“ referendum esse ad genitivum „Nonarum Novembrium“.

Alter Mommsenii error est, quod putat conatum Ciceronis interficiendi susceptum esse non eadem nocte, qua consilium caedis initum sit sed uno die intermisso. At huic opinioni aperte repugnat Ciceronis ipsius testimonium.[1]) Quid igitur Mommsenius? Tenax falsae opinionis a Cicerone contendit rem aliter fictam esse atque evenerit. Jam vero cum Ciceronis testimonio in universum conveniunt, quae Sallustius, Plutarchus, Dio Cassius de eadem re narrant. Sallustius et Dio Cassius disertis verbis commemorant nocturnum illum conventum; Plutarchus quamquam conventum ipsum non memorat, tamen rem ita narrat, ut dubium non sit, quin eum in mente habuerit.[2]) Omnes autem referunt eadem nocte vixdum coetu dimisso sub ipsam lucem conatum facinoris susceptum esse. Itaque confitendum est Mommsenium audaciore quam feliciore ratiocinandi ratione usum esse.

Cum Mommsenio consentiunt Madwig, Hachtmann, Lange, qui et ipsi contendunt primam in Catilinam orationem habitam esse a. d. VII. Id. Nov., nisi quod e difficultatibus, quae in hac sententia defendenda offeruntur, aliter se expedire conantur. Hoc autem eorum commune est, quod omnes magnopere elaborant in quaestione explicanda, quantum temporis spatium intercesserit inter illum conjuratorum coetum et diem, quo prima oratio habita est, itemque illud quoque commune, quod ad probandas suas sententias nihil afferunt nisi conjecturas. In rebus autem natura sua dubiis licet opinari, non item in iis rebus, in quibus certa argumenta suppetunt. Itaque eorum sententias ipsa ea opera satis refutatas esse arbitror, qua supra demonstravi primam orationem in Catilinam a Cicerone habitam esse a. d. VI. Id. Nov. Sed quamvis hoc ita sit, tamen non decedam de jure meo, ut omnia undique pro mea causa argumenta conquiram, praesertim cum ea sponte se offerant, neque videtur operae non esse pretium Ciceronis locos a falsis interpretationibus defendere. Itaque breviter examinare has conjecturas supersedere nolo.

Ac prima quidem Madvigii sententia afferenda est statuentis Ciceronem die, qui illum nocturnum conventum secutus sit, orationem primam habuisse. Quae sententia ut conciliari possit cum Ciceronis locis, ubi noctem, qua conjurati convenerunt ad Laecam, non hanc dicit, sed illam et superiorem vel priorem, Madvigius sumit senatores a Cicerone convocatos esse post solis demum occasum. „Sic igitur“, inquit,[3]) „statuemus ipso, qui illam noctem et conventum secutus est, die, id est VII. Id. Nov. (7. Nov.) senatum habitum esse, sed cum eodem demum die vocatus esset, die inclinante in noctem convenisse orationemque primam hoc die sed vesperi demum vel paene noctu habitam. Sic intellegetur, cur non hanc dicat noctem (esset enim, qua ipse diceret), sed illam et superiorem.“ Deinde pergit: „senatus consultum veteri more post solis occasum fieri non poterat, quominus haberetur senatus nihil oberat.“[4]) Haec Madvigius.

---

oratione, quae paulo post patefactam conjurationem habita sit, tam accurata temporis notatio supervacanea videri debeat.

[1]) in Cat. I. 9.

[2]) Plutarchus in eo discrepat a Cicerone, qud nomina habet Marcii et Cetheji.

[3]) opusc. acad. p. 195 et 196.

[4]) Gell. XIV. 7. 8: post haec deinceps dicit senatus consultum ante exortum aut post occasum solem factum ratum non fuisse: opus etiam censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore senatus consultum factum esset.

Num verum sit, quod vir doctissimus sibi persuadet, nihil obfuisse, quominus post solis occasum senatus haberetur, in medio relinquamus. Nam ad refellendam hanc sententiam nihil opus est, nisi ut moneatur, id quod jam ab aliis monitum esse video, tam insoliti temporis nullum in orationibus Ciceronis extare indicium. Neque enim dubitandum, quin Cicero, si revera senatus nocte habitus esset, ejus rei mentionem facturus fuerit. Alias certe nihil praetermisit, quin iniquitatem temporum in majus extolleret. Quare senatum illum nocte non habitum esse ipsum Ciceronis silentium planissime demonstrat. Neque habent ullam probabilitatis speciem, quae vir doctissimus ad commendandam suam sententiam addit: „nec ullo modo probabile est Ciceronem habito illo nocturno conventu consiliisque ad se statim delatis factisque sibi eadem nocte insidiis diem intermisisse ac tum demum senatum convocasse.“ Nam quilibet, opinor, facile credet non statim primo post conventum nocturnum die Ciceronem senatum convocare potuisse, sed spatium sibi relinquere debuisse, ut necessaria quaevis pararet ad urbis et civium salutem servandam. Illam enim noctem omnium temporum conjurationis Cicero acerrimam fuisse atque acerbissimam dixit, quippe qua descriptio totam per urbem caedis atque incendiorum constituta esset. Perficiendis autem sceleribus jam proximam noctem dictam fuisse verisimillimum est propterea, quod Cicero dicit in Cat. II. 13: „patefeci cetera: quid ea nocte (scilicet apud Laecam) egisset, quid in proximam constituisset“, et in Cat. I. 1: „quid proxima, quid superiore nocte egeris“. Itaque Ciceronem, cum omnia per se obire et, quid quoque loco faciendum esset, providere vellet, totum diem consumpsisse consentaneum est.

Hachtmanni autem sententiam non est quod refutem, qui nodum non solvit sed caedit locum, quocum prorsus pugnat ipsius sententia, corruptum esse statuens. Contendit enim eo loco, qui legitur in initio orationis primae: „quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris etc.“ verba: „quid proxima“ interpolatori deberi. Sed haec scriptura non modo omnium codicum auctoritate nititur, sed etiam Prisciani testimonio [1]) confirmatur, qui locum exhibet talem, qualem nunc in nostris exemplaribus legimus.

Reliquum est,[2]) ut Langii sententiam commemorem. Sicut Mommsenius Ciceronem arguit a veritate deflexisse, ita Langius eum neglegentiae vel erroris insimulare non dubitat.[3]) Dicit enim nocturnum conventum in aedibus Laecae factum esse ea nocte, quae Nonas Novembres secuta sit; L. Cornelium et L. Varguntejum illa ipsa nocte paulo ante lucem Ciceronem interficere voluisse; tempore autem exclusos, cum ille conventus usque ad matutinum tempus ductus esset, eos postero demum die, id est a. d. VII. Id. Nov., ad caedem perficiendam aggressos esse; sic fieri potuisse, ut Cicero in oratione pro Sulla minus diligenter „nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium“ id est „altera nocte post Nonas Novembres“ conventum factum esse diceret.

Senec. de tranq. an. 15: majores quoque nostri novam relationem post horam decimam in senatu fieri vetabant.

[1]) institt. lib. XVIII. 290.

[2]) Nihil moror sententias, quas Zumpt et Weidner protulerunt, satis jam ab aliis explosas, quorum ille (Jahrb. f. klass. Philol. 7. Suppl. Bd. 1875 p. 577 seq.) Ciceronis locum Cat. I. 1 interpunctione mutata ita legit: „Quid? proxima quid superiore nocte egeris etc.“, hic (Phil. Anz. 1877 p. 410 seq.) censet Ciceronem verbis: „quid proxima, quid superiore nocte egeris“ non diversas noctes significare, sed ejusdem noctis diversas partes.

[3]) Röm. Alterth. III. p. 242.

Mirum quod Langius non cogitavit Ciceronem in Cat. I. 9 plane dicere eadem nocte, qua consilium caedis initum esset, paulo ante lucem duos illos equites se trucidare conatos esse. Jam vero cum verisimile non est, id quod supra monui, Ciceronem in talibus rebus erravisse, tum prorsus incredibile est eum bis commisisse eundem errorem.

Quibus rebus expositis equidem mihi persuadeo, si quis neget orationem primam habitam esse a. d. VI. Id. Nov., eum aliquid in disceptationem vocare, in quo nihil dubitationis detur. Quodsi eas res, quarum tempus non liquido a Cicerone notatum est, ad certos dies revocare studemus, non aliunde commodius proficisci licet quam ab hoc die, quippe qui omnium certissime ex Cicerone demonstrari possit. Quoniam igitur Cicero in Cat. I. 4 tempus summatim comprehendens de illo senatus consulto dicit: „At nos vicesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujus modi senatus consultum etc.“ ad verum proxime accedemus, si postridie post senatum a. d. XII. Kal. Nov. convocatum conjiciemus comitia habita esse, quae nescio an a. d. X. Kal. Nov. illud senatus decretum secutum sit. Ac Plutarcho auctore ego affirmaverim illo die Ciceronem in senatu litteras nocte sibi multisque aliis senatoribus allatas recitasse, in quibus scriptum erat magnam caedem brevi factum iri. At enim Asconio auctore dies, quo prima in Catilinam oratio habita est, a commissa consulibus republica duodevicesimus fuit: Asconii quidem auctoritas plurimum valet; tantumne, ut prae ea Ciceronis ipsius auctoritas plane spernenda sit?[1]) Ceterum nescio an Asconii testimonium conveniat calculorum nostrorum rationi.

Notum est Romanos in computando intervallo aliquo dierum non solum „terminum a quo“ sed etiam „terminum ad quem“ numero addidisse. Jam vero haud improbabile videtur hanc legem etiam observatam esse in subducenda summa aliqua dierum, quorum unam seriem altera deinceps excepit, ita ut idem dies, in quo prior computatio terminabatur, simul primus fieret alterius computationis, quae priori addenda erat.

Quodsi hanc conjecturam sequimur, quoniam id agitur, ut intervallum temporis constituatur, quod intercesserit inter a. d. X. Kal. Nov. et a. d. VI. Id. Nov., decem dies numerandi sunt, qui pertinent ad mensem Octobrem, ad quos accedunt octo dies, qui ad Novembrem pertinent. Sic efficiuntur die Kalendarum bis numerato duodeviginti dies.[2]) Incertum hoc esse fateor.

Ita definitis temporibus addemus pauca quaedam ad ordinem narrationis Sallustianae pertinentia. Supra notavi Sallustio duos imprimis errores objici, unum quod comitia primo loco memoret, cum facta sint post senatus decretum, quo Cicero dictator dictus est, alterum, quod rerum gestarum seriem importune interpellaverit, cum conjuratorum conventum domi Laecae et senatum duobus diebus post habitum tam late alias res narrando disjungeret. Itaque ea, quae narrantur inde a capite 27. 3 usque ad caput 28. 3, non eo, quo exspectaveris, loco cap. 31. 4 memorari. Comitia consularia et senatus illud decretum revera eo ordine gesta esse, quo scriptor narrat, ex iis, quae disputavi, apparere arbitror. Quod ad alterum errorem

---

[1]) vid. quae de hac re haud inscite disputavit Ogórek l. l. p. 11 seq.

[2]) Frustra nuper Kühn p. 5 demonstrare conatus est Asconium in temporis descriptionibus non solere utrumque annumerare terminum (et a quo et ad quem), sed ut apud nos fieri solet tantum unum. Quid hac in re nos attinet scire, quamnam rationem Asconius sequi solitus sit? Nimirum nonnisi quaerendum est, quam rationem consentaneum sit Ciceronem secutum esse. Nam Asconius, si quidem Ciceronem indiligentiae arguere studet, non potest non uti eadem ac Cicero computandi ratione.

attinet, concedo Ciceronem ad senatum convocandum nulla re nisi consiliis Catilinae nocturnis commotum fuisse. Sed tamen, si quis recte aestimaverit res earumque non tam externa vincula quam interna, quibus inter se cohaerent, spectaverit, nullo modo in eo haesitabit, quod Sallustius hac consociatione et conjunctione rerum usus sit; immo vero fatebitur Sallustium legibus artis historicae optime satis fecisse. Illud enim diligenter curat, quod gravissimum est, ut ea, quae narrantur, licet diversis temporibus et locis gesta sint, cogitatione tamen facile comprehendi possint.[1]) Quod ut probem, qualis fuerit tunc conditio rerum paucis exponam.

Supra jam monitum est Ciceronem, quamvis Catilinae consilia jam in multorum notitiam pervenissent, tamen non ausum esse in eum animadvertere. Cujus rei causam Cicero ipse indicat.[2]) Terrebant enim cives non tam rumores, qui de Catilina in urbe eo tempore commorante divulgati erant, quam motus Etrusci, ad quos opprimendos magnas in urbe armari videbant copias. Quibus Manlianis actionibus quantus sit terror civibus incussus Sallustius describit.[3]) Quodsi cives societatis Catilinae cum Manlio certa testimonia habuissent, is in summam invidiam adduceretur necesse erat. Ideo igitur ille senatus fuit tanti momenti tantumque valuit ad conjurationis exstinctionem maturandam, quod Catilina Ciceronis oratione edoctus in urbe, cum omnia clandestina consilia consulis vigilantia impedirentur, rem nullam succedere Roma proficisci animum induxit. Qua profectione effectum est, id quod Cicero dicit, ut omnes factam esse aperte conjurationem contra rempublicam viderent et palam jam cum hoste nullo impediente bellum justum gereretur. Licet autem Cicero nulla alia re motus nisi ut consilia nocturna apud Laecam inita aperiret, illum senatum convocaverit, tamen si Catilina senatui non interfuisset, status rerum mansisset talis, qualis antea fuerat. Neque vero Catilinam eo consilio in senatum venisse, ut de patefactis consiliis nocturnis certior factus hanc suspicionem tolleret, manifestum faciunt Ciceronis verba (in Cat. II. 13): „Hic ego vehemens consul, qui verbo cives in exilium ejicio, quaesivi a Catilina, in nocturno conventu apud M. Laecam fuisset necne. Cum ille homo audacissimus conscientia convictus primo reticuisset, patefeci ce-

---

[1]) Sallustianum narrandi ordinem scriptoris consilio facile excusari posse, hac in sententia alios quoque prorsus consentientes habeo, inter quos appello Wiedemannum, qui (Philol. XXII. p. 495 seq.) docet Sallustii locum (27. 3 — 28. 3) esse insigne exemplum artificiosae rerum compositionis; certa enim indicia extare, unde eluceat Sallustium non ignorasse rectum rerum ordinem, sed consulto eum praeoptavisse narrandi ordinem, qui quasi dramatis instar certis gradibus ad catastrophen decurreret.

[2]) in Cat. I. 30: quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea quae imminent non videant, aut ea quae vident dissimulent: qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt, conjurationem nascentem non credendo corroboraverunt; quorum auctoritatem secuti multi non solum improbi verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur.

Conferendus quoque est locus Dionis Cassii (XXXVII. 31): *γενομένου δὲ τούτου* (scilicet dicto dictatore) ***καὶ φρουρᾶς πολλαχόθι καταστάσης τὰ μὲν ἐν τῷ ἄστει οὐκέτ᾽ ἐνεωτερίσθη, ὥστε καὶ ἐπὶ συκοφαντίᾳ τὸν Κικέρωνα διαβληθῆναι. τὰ δὲ ἐκ τῶν Τυρσυνῶν ἀγγελλόμενα τήν τε αἰτίαν ἐπιστώσατο καὶ βίας ἐπ᾽ αὐτοῖς γραφὴν τῷ Κατιλίνᾳ παρεσκεύασε.***

[3]) cap. 31: quibus rebus permota civitas atque immutata urbis facies erat; ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri.

tera; quid ea nocte egisset, quid in proximam constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Cum haesitaret, cum teneretur, quaesivi, quid dubitaret proficisci eo, quo jam pridem pararet etc.“ Catilina profecto non haesitasset, si exspectavisset hujus sceleris patefactionem. Itaque colligendum est Catilinam nihil minus quam veritum esse, ne horum consiliorum convinceretur. Sed movebant eum vehementer trepidatio et tumultus civium nuntiis Faesulanis exagitatorum. Quare sicut Catilina paucis ante diebus, cum lege Plautia arcessitus esset a L. Paulo, ne cives se Manlii socium esse putarent, nonnullis honestis viris in liberam se dederat custodiam, ita tunc ut eandem suspicionem removeret, ideo in senatum venisse putandus est, id quod diserte Sallustius dicit.[1]) Quis enim crederet ipsum, si tanti sceleris noxius esset, in senatum venturum fuisse? Itaque cum Sallustius sibi proposuisset, ut et res, quae ad Catilinam pertinerent, et ea, quae Manlius Faesulis agitaret quaeque his cognitis Romae fierent, perpetua oratione persequeretur, ea non debet videri justa offensio, quod conventum conjuratorum apud Laecam et illud senatorum concilium duobus diebus post habitum una continuatione non connexuit. Nam rebus, quae ad Catilinam pertinent, absolutis Sallustius transit ad Manlium et sic res alias ex aliis serit: senatus Romanus certior factus Manlium in Etruria plebem sollicitare et copias parare Ciceronem dixit dictatorem, quo auctore copiae parabantur et in locis sollicitatis collocabantur. Sic reditus Sallustio paratus est ad Catilinam, qui hac civium trepidatione ipse perculsus, ut eorum opinionibus vacuus culpa existimaretur, in senatum a Cicerone convocatum venit. Ceterum Sallustius cap. 28. 4, ubi ad Manlianos motus transit, particula „interea“ inserta indicat, quae deinceps narrantur res, in idem temporis spatium incidere atque eas, quae modo memoratae sunt.

Quibus disputatis apparere confido Sallustium eum secutum esse narrandi ordinem, qui commodissimus esset ad conjurationem, quemadmodum ipsi videretur, explicandam.

---

[1]) Cat. 31. 5: Postremo dissimulandi causa aut sui expurgandi, sicuti jurgio lacessitus foret, in senatum venit.